

enim his corporibus pulchrius cogitari potest? uel  
aquam ex rerum natura tolli quod impar sit stellarum  
claritati, nonne hunc insanire diceremus? Si quis  
propter admirationem doctrinae religionis, iubeat  
e uita tollere omnia iura atque instituta ciuitatum, om-  
nia uincula domesticae uitae, Nonne hunc omnes sani  
homines ui atque armis coercendum esse iudicarent?

Et uidimus his annis quosdam ἀνοσιως  
θεολογούντας dementatos huiusmodi fanaticis opi-  
nionibus, erroris sui poenas dare. Meministis  
enim Monetarium et Anabaptistas et hoc genus  
alia portenta. Ad hunc modum iudicate insanire  
eos, qui chorum et concentum artium perturbant,  
neglectis et contemptis inferioribus artibus. Qua-  
re sicut de literarum clementis cogitantes, totum  
ἄλφα καὶ ἔντα necessarium esse ad sermonem au-  
ditis, ita disciplinas omnes quae in scholis tradun-  
tur existimabitis ad uitam esse necessarias.

Nam is demum recte sentiet de artibus, qui  
cum gradus earum animaduertit, intelliget singu-  
las certae utilitatis causa repertas esse.

Haec dixi ad commo ne faciendos adolefcentes,  
quorum multos uidemus magno non tantum suo sed  
reip. incommodo intempestiue properare ad supe-  
riores disciplinas. Nam studia uestra non tantum  
ad nos, sed ad remp. pertinent,

A. iij

Et